

clesia, de facto tamen non reservantur nisi peccata externa: ut autem peccatum externum censetur reservatum, requiritur quod actus externus sit secundum se mortaliter peccaminosus, aliter licet actus internus fuerit mortaliter peccaminosus, non erit talis actus externus peccatum reservatum: Quare furari intendens verb. grat. decem aureos, si tantum furetur duos obulos, reservationem non incurrit. Tract. 6. cap. 13. num. 10. 11. 12. Insuper ut peccatum quodcumque censetur reservatum, debet actus externus mortaliter peccaminosus esse consummatus, & perfectus in genere suo: & cum lex reservativa penalitatis sit, debet etiam intelligi secundum proprietatem verborum: & ideo si simpliciter reservetur sodomia, solum intelligitur reservata sodomia proprie talis completa, & consummata, nempe masculi ad masculum, vel femine ad feminam cum immixtione seminis in vase præprotero. Tract. 26. cap. 7. num. 80. 109. 112. Reservatio indiscreta valida est, sed illicita. Tract. 6. cap. 13. num. 18. Omnis reservatio non solum est penalitatis, sed etiam medicinalis. Ignorantia censuræ etiam si sit culpabilis, dummodo non crassa, vel supina, omnino liberat a reservatione. Ignorantia quoque saltem inculpabilis ipsius reservationis casus, vel censuræ ab ipsa reservatione liberat. Tract. 18. cap. 4. n. 9. 10. 13.

72. Peccata dubia licet possint reservari, de facto tamen nisi expresse reserventur, reservata non sunt; etiam si habeant annexam censuram reservatam. Quare si quis dubitet, an peccatum commiserit, cui certo scit annexam esse censuram reservatam, seu reservationem; dubitet an tale delictum, quod certo commisit, sit reservatum; si dubitet an fuerit veniale; ratione materię levis, vel imperfecta deliberationis, immunis erit a reservatione: Qui cum prædicto dubio, siue facti siue juris, ab inferiori Confessario fuit absolutus, non tenetur si postea certo cognoscat se tale peccatum commississe, esse mor-

tale, & reservatum, coram Superiore comparere; nam directe est absolutus. Tract. 18. cap. 4. nu. 15. 16. Tract. 6. cap. 13. n. 13. 14. 15.

73. Juxta Bullam Bened. XIV. 17. Maji 1741. Absolvi nequeunt penitentes sollicitati, nisi prius denuncient, vel saltem cum primum posuerint se denunciuros promittant sollicitantem quomodolibet exemptum, & cujuscumque sit dignitatis; si verbis, siue signis, siue nutibus, siue tactibus, siue per scripturam tunc vel postea legendam tentaverit: etiam si sit Sacerdos jurisdictione carens ad validam absolutionem; etiam si sollicitatio sit mutua; siue sollicitationi penitens consenserit, siue non; etiam si longum tempus a sollicitatione effluxerit; etiam si sollicitatio facta fuerit pro alia persona; aut juxta Greg. XV. *Constitutionem*. Fallo denunciantes Confessarium innocentem, & ad falsam denunciationem inducentes, vel inducere procurantes, a nullo Confessario quovis privilegio auctoritate, vel dignitate munito absolvi possunt, præterquam in articulo mortis, vel a Summo Pontifice. Item prohibetur unicuique Confessario quovis privilegio, & specialissima nota suffulto absolutio complicis a peccato contra 6. præceptum præterquam in mortis articulo, deficiente alio Sacerdote; & talis absolutio irrita est, & nulla; ita quod nec per Jubilæum aut Bullam cruciatam absolvi possit talis complex, & absolvere præsumens excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam incurrit: ita ex Bulla præcitata.

74. A reservatis in primis absolvere potest qui reservavit; & ille qui in eodem genere, & Foro superior est reservante: unde Archiepiscopus non potest absolvere a reservatis suffraganeo suo, nisi in actu visitationis. Tract. 6. cap. 13. nu. 20. 21. Peregrinus veniens ad aliam Diocesim sine animo mutandi domicilium, bona fide; & non in fraudem reservationis, sed propter sua ne-

negotia potest absolvi a quocumque Confessario approbato a reservato in sua Diocesi; si non sit reservatum in loco ubi confitetur; si autem in loco confessionis, vel utrobique reservatum sit, absolvi non potest. nu. 22. 24. 26. Si penitens ex aliqua Diocesi cum peccato in ea non reservato veniat ad locum ubi est reservatum, & illud apud proprium Parochum confiteatur, poterit hic cum a tali reservato absolvere. nu. 27. Certum est illum habere facultatem delegatam absolvendi a reservatis, qui eam obtinuit a reservante, vel ab ejus superiore, vel ab eo qui in reservata habet ordinariam facultatem. nu. 28. A quibus casibus Pontifici reservatis possint Episcopi absolvere, Vid. Tract. de Censuris.

75. Episcopus, & ejus Vicarius possunt per suum Confessarium absolvi ab omnibus reservatis, a quibus ipsi possunt alios absolvere: & ideo Episcopus potest etiam absolvi per suum Confessarium ab iis casibus summo Pontifici reservatis, quorum absolutio ipsi est delegata. Tract. 6. cap. 13. nu. 34. 35. Idem dicendum de Prælati Regularibus, nisi in propria Religione detur statutum contrarium. n. 36. Si Confessarius obtinuit facultatem a Prælo pro absolutione a reservatis, ea uti potest tam ut ipse absolvat, quam ut alios absolvat; nisi determinate concessa sit ad alium absolvendum. nu. 37. Facultas petita, & concessa pro hac vice ad absolvendum aliqueum a reservatis, si ex tenore verborum non restringitur ad jam commissam, seu expositam, vel super peccato semel, aut toties commissio, sed indefinite concessa sit, extenditur etiam ad commissam post concessam facultatem. n. 38. 39. Facultas absolvendi a reservatis extenditur etiam ad commissam ex confidentia ipsius. num. 40. Obtenuta absolutione ab habente facultatem in reservata, etiam si confessio invalida fuerit ob defectum integritatis aut dispositionis, cessat reservatio quoad illa quæ in confessione exposita sunt: fecus dicendum de absolutione obten-

ta virtute Jubilæi, si penitens illud accipere nolit. n. 41.

76. Per Confessionem legitimam factam habenti facultatem, tollitur reservatio etiam quoad peccata invincibiliter oblita, & quoad ea, quæ ex justa causa prætermissa sunt, etiam si habeant annexam censuram. Tract. 6. cap. 13. n. 44. 45. 46. Qui virtute Jubilæi absolutus est a peccatis, per illam absolutionem liber remanet a reservatione quoad oblita, ita ut ea cuiuslibet Confessario confiteri possit. nu. 55. Qui tempore Jubilæi confitetur cum intentione lucrandi illud, & virtute illius absolvitur a reservatis, si postea Jubilæum non accipiat, remanet nihilominus vere absolutus, nec reservatio reviviscit. nu. 56. Supposita sententia probabilis, quod ad Jubilæum lucrandum non sit necessaria confessio; si quis factis examine non inveniens peccatum mortale, de quo confiteatur, habeat tamen mortale reservatum, de quo invincibiliter oblitus est; poterit post lucratum absque Confessione Jubilæum, virtute ejusdem Jubilæi ab illo reservato oblito absolvi a quolibet Confessario. n. 58.

77. Perenti facultatem ut a reservatis absolvatur regulariter concedenda est; nisi prudenter timeatur talem concessionem futuram esse subdito occasione peccandi, aut in alterius damnum cessuram. Tract. 6. cap. 13. nu. 60. Non debet Superior sine justa causa repellere Confessarium licentiam postulantem absolvendi a reservatis, & adigere penitentem, ut iterum sua peccata confiteatur. nu. 61. Negata a Superiore facultate absolvendi, non licet penitentem absolvere, nisi aliqua urgeat gravis necessitas. nu. 62. Si Prælati Regularis denegat facultatem absolvendi a reservato, contra id quod Confessarius iudicat fieri debere; poterit hoc non obstante pro ea vice Confessarius Regularis penitentem absolvere ab illo, vel ab illis reservatis. Ita ex declarat. Clementis VIII. Concedens subdito facultatem eligendi Confessarium non censetur concedere ut a reservatis absolvatur. n. 63. 64.

78. Potest Superior facultatem concedere absolventi a reservatis cum onere talem, vel talem pœnam imponendi, & acceptandi, vel coram Superiore comparandi. *Tract. 6. cap. 13. nu. 65.* Facta Superiori Confessione peccati reservati, si ipse pœnitentem remittat ad inferiorem pro Sacramentali absolutione, censetur sublata reservatio; ipse autem inferior nequit hanc absolutionem alteri subdelegare, num. 68. In nullo casu potest Superior a solis reservatis pœnitentem sacramentaliter absolvere, eumque ad inferiorem pro absolutione non referatorum remittere; sed tenetur, vel omnia audire; & absolvere vel sublata reservatione ipsum ad inferiorem pro omnium confessione, & absolutione remittere. *Tract. 24. Disp. 8. nu. 218.* Sacerdos facultate carens in reservata, potest cogente necessitate, & auditis omnibus peccatis pœnitentem directè vero a reservatis absolvere, indirectè vero a reservatis, si habeant annexam censuram siue non, cum onere tamen comparandi. *Tract. 6. cap. 13. nu. 74. 75.*

79. Prælatorum Regularium nomine veniunt Generales, Provinciales, omnesque Superiores locales, nempe Piores, Guardiani, &c. horum quoque vicarii, necnon & Conventuum Præsidentes, abente Priore, &c. per diem naturalem. Ab omnibus casibus, & censuris, & pœnis, a quibus dicemus, Confessarii Regulares posse alios sui Ordinis Religiosos absolvere, ab iisdem possunt etiam absolvere Novitios, & mox Religionem ingressuros, nec non & famulos commenales. *Tract. 18. cap. 4. nu. 141.* Possunt Prælati Regulares suos Religiosos absolvere ab omnibus casibus & censuris, quas Episcopi sibi reservant. Item ab excommunicatione ob percussorem etiam enormem sui, vel alterius Ordinis Religiosi, vel etiam Clerici secularis; & ab omnibus aliis casibus, & censuris Pontifici reservatis extra Bullam cœnæ; & etiam a contentis in Bulla cœnæ si occulti sint, excepta hæresi. *Tract. 10. cap. 2. nu. 69.*

70. 76. Novitii per Prælatos, vel per alios a Prælatos deputatos absoluti a casibus, & censuris reservatis ante ingressum in Religionem incurris, si postea a Religione exeant, non reiciuntur in eas. Ita ex variis privilegiis Regularibus concessis. nu. 80.

80. Possunt Confessarii Regulares ab omnibus casibus a iure, vel ab homine Episcopis reservatis suos Religiosos absolvere, siue a iure sint ipsi commissi, siue ab eis in specie sibi reservati; & hoc toties quoties ex privilegio Sixti IV. Cum autem omnes casus Bullæ cœnæ occulti a Concilio Tridentino Episcopis committantur, ab his etiam poterunt Confessarii Regulares toties quoties suos Religiosos absolvere. Possunt quoque eos toties quoties absolvere ab omnibus casibus, censuris, & pœnis etiam publicis Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis iis quæ in Bulla cœnæ Domini continentur, quando publici sunt. Ex privilegio Pauli III. & Sixti IV. Possunt etiam Confessarii Regulares deputati a Generali, vel Provinciali pro confessionibus audiendis Religiosorum eos toties quoties absolvere ab omnibus casibus Pontifici reservatis etiam publicis, & in Bulla cœnæ contentis, exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, Apostolicarum litterarum falsariis, & ad infideles prohibita deferentibus. Bulla autem cœnæ solum revocat privilegia quoad absolutionem secularium.

81. Possunt Religiosi in omnibus festis Domini, B.V. omnium Sanctorum, Fundatoris, qui apud nos est S. P. N. Elias, & S. Catharinæ, cuius loco apud nos est S. Mater N. Theresiæ, eligere sibi Confessarium ex approbatis a suis Prælati, qui eos plenissime absolvat. Leo X. Possunt etiam quater in anno eligere Confessarium, qui eos ea plenitudine absolvat sicuti faceret Summus Pontifex. Ita Leo X. Monialibus S. Claræ. Quater in vita possunt eligere Confessarium ex approbatis a suis Prælati, qui eos plenissime absolvat. Paul. III. & Leo X. Semel in vita sibi eligere possunt Confessarium ex appro-

probatis a suis Prælati, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris nullo excepto. In omnibus his privilegiis videtur excipienda hæresis etiam occulta, quia facultas absolventi ab ea in generalibus concessionibus non censetur concessa, nisi exprimat. *Tract. 18. cap. 4. nu. 143. 144. Tract. 21. cap. 3. nu. 80. 88.*

82. Possunt Regulares in articulo mortis eligere quemlibet Confessarium tam Regularem quam secularem; qui eos ab omnibus casibus, & censuris absolvat, nullo excepto, & concedat ipsis Sanctum Jubilæum, seu omnes, & singulas indulgentias per Romanos Pontifices prædecessores Sixti IV. concessas Christi fidelibus personaliter euntibus Romam anno Jubilæi, & visitantibus Ecclesias ad hoc determinatas. Quæ Indulgentia licet pro vero articulo mortis reservetur; absolutio tamen a reservatisum fortiter effectum, nec tenetur pœnitens postea comparere. Hic mortis articulus, & periculum pro eodem sumuntur. *Tract. 18. cap. 4. nu. 145.*

83. Possunt mendicantium Confessarii a Prælati deputati toties quoties cum suis Religiosis dispensare in omni irregularitate, siue ex delicto, siue ex defectu, excepta ea, quæ est ex bigamia, vel homicidio voluntario, & voluntaria mutilatione. Item possunt semel in vita dispensare cum ipsis in foro conscientie in omni irregularitate quacumque ex causa contracta; (excipie semper irregularitates illas, quæ sunt de iure divino, in quibus nec summus Pontifex potest dispensare, & irregularitatem ex defectu perpetuo usus locutionis.) Ex privilegio Eugenii IV. Denique possunt cum suis Religiosis dispensare in foro conscientie in omnibus pœnis ex quocumque delicto contractis; videlicet inhabilitatis ad officia, privationis dignitatis, vocis, ac loci, &c. *Tract. 18. cap. 4. nu. 147. 148. 149.* De dispensatione Votorum *Vid. Tract. 3. sect. 52.*

84. Confessarii Regulares a Prælati exposti, & ab Episcopo approbati,

(nam hi tantum veniunt nomine Confessarii Regularis respectu secularium,) possunt extra Italiam omnes seculares absolvere ab omnibus casibus, & censuris, etiam summo Pontifici reservatis, iis tantum exceptis qui in Bulla cœnæ continentur, & iis quos Episcopi sibi speciali edicto reservant. Intra Italiam, & extra Urbem excipiuntur etiam alii sex casus, qui sunt: Percussio Clerici; Duellum in terminis Conflit. Gregorii XIII. Violatio immunitatis in terminis Conflit. Greg. XIV. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem; Simonia realis scienter contracta; & Simonia confidencialis in beneficiis. *Tract. 18. cap. 4. nu. 153. 154.* Possunt Confessarii Regulares absolvere seculares a casibus, & censuris Sanctæ Inquisitionis reservatis, ut sunt sortilegium, maleficium, superstitio, Magia, &c. quando non procedunt ex errore intellectus. Excommunicatio contra procurantes abortum est a iure reservata Episcopis per Conflit. Greg. XIV. & ideo possunt ab ea Confessarii Regulares absolvere; sicut & ab aliis casibus iure ordinario Episcopis reservatis; etiam si omnes prædicti casus publici sint: debet tamen tunc pœnitens præsentare Prælato testimonium Confessarii de absolutione in scriptis, & interim in foro externo se gerere ut excommunicatus. n. 154. 155. 156.

§. VI.

De Sacramentali sigillo.

85. *Sigillum Sacramentalis Confessionis est debium Confessionem celandi.* Hoc sigillum materialiter, & præsuppositivè acceptum oritur ex iure nature; formaliter vero sumptum, non solum ex iure Ecclesiastico, sed etiam ex iure divino naturali, & positivo. *Tract. 24. Disp. 9. nu. 2. 4. 11. 16.* Sigillum Sacramentalis Confessionis obligat in omni eventu; & ita observari debet, ut neque indirectè illud liceat manifestare; nec implicite, hoc est per signa, aut adiones indicantes. n. 19.

33. Si pœnitens nolit dare licentiam Confessario ad loquendum extra confessionem de auditis in confessione, id non licebit neque ad supplendum defectum confessionis, nec ad præcavendum damnum innocentis. nu. 37.

34. Insuper non licet Confessario, ob solam noticiam confessionis vitare excommunicatum non toleratum, vel denegare Eucharistiam indigno. nu. 38.

86. Igitur uno verbo, ob nullum scandalum, aut damnum sive corporale, sive spirituale, sive proprium, sive alienum, etiam commune, vel innocentis vitandum, potest Confessarius sine directe, sive indirecte Confessionem revelare; sed quibuscumque imminentibus malis alia via, & cognitione utendo, si possibile sit, occurrendum est. Tract. 24. Disp. 9. nu. 39. Non quælibet pœnitentis licentia sufficit, ut possit Confessarius uti scientia confessionis, nec sufficit tacita, vel præsumpta, sed debet esse expressa. Concessa autem pro uno peccato, vel cum limitatione nequit extendi sine fractione sigilli. nu. 59.

Potest Confessarius sine fractione sigilli ex sola licentia pœnitentis, ob bonum ipsius pœnitentis, vel complicitis, ipsius complicitis peccatum revelare. nu. 60. Sacramentalis sigilli violatio non admittit parvitatem materię; nec potest esse veniale, nisi ex inadvertentia, vel deliberationis defectu. Tract. 6. cap. 14. n. 9.

87. Sigilli Sacramentalis obligatio oritur ex sola Sacramentali confessione, & ex omni ea, quæ talis fuerit ex intentione pœnitentis, licet aliqua de causa non perficiatur, aut invalida sit; ideoque si pœnitens accedat ad Confessarium non animo confitendi, sed decipiendi ministrum, vel eum attrahendi in suorum criminum consortium, sollicitandi, injuriis afficiendi, vel nimis terrendi, non tenebitur ad sacramentale sigillum, sed tantum ad secretum naturale, quod ad vitandum damnum

proprium vel alienum frangi potest: Tract. 24. Disp. 9. nu. 64. 67. Qui fingens se Sacerdotem Confessarium confessionem audit bona fide a pœnitente factam, tenetur ad Sacramentale sigillum. Tract. 6. cap. 24. nu. 12. Si pœnitens confiteatur cum laico existimans ab eo posse in absentia Sacerdotis absolvi, tenetur ille laicus ad confessionis sigillum, nam confessio ex intentione pœnitentis fuit Sacramentalis. nu. 13. Si pœnitens Sacerdoti peccatum aperiat, non ut absolvat, sed ut consilium petat, quantumvis roget ut sub Sacramentali sigillo dicenda suscipiat, non ob id sub confessionis sigillo, sed tantum sub obligatione secreti naturalis tenetur. nu. 14.

88. Si pœnitens accedat ad Confessarium, eique sua peccata aperiat, ut ipse Confessarius eum disponat ad recipiendam opportuno tempore absolutionem, tenetur Confessarius sacro sigillo; quia talis manifestatio est quædam inchoata confessio. Tract. 6. cap. 14. nu. 16. In dubio an aliquod peccatum revelatum fuerit in ordine ad Confessionem Sacramentalem, tenetur Confessarius ad Sacramentale sigillum. nu. 18. Sub sacro sigillo cadunt peccata mortalia etiam in genere; nam dicere: talem pœnitentem confessum fuisse vel commississe peccatum mortale reddidit odium Sacramentum. nu. 19. Cadunt etiam sub sigillo peccata venialia in particulari. Franget etiam Confessarius sigillum si dicat talem confessum fuisse venialia gravia; secus si dicat simpliciter venialia habuisse; nam eo ipso quod confitetur, saltem venialia habere debet. Cadunt etiam sub sigillo peccata quantumvis publica, quæ alias ignota erant Confessario. Quæ vero aliunde noverrat, de iis tantum loqui poterit secundum noticiam aliunde habitam; in hoc tamen valde caute procedendum. Cadunt tandem sub sigillo omnes circumstantiæ peccatorum, eaque omnia, quæ ad peccati confessi explicationem, dicta sunt: secus vero incidenter dicta, & nullo modo ad Confessionem pertinentia. nu. 20. 22. 23.

89. Violator sigilli est Confessarius qui dicit aliquod peccatum in confessione auditum, cum talibus circumstantiis, ex quibus facile habeatur notitia personæ. Tract. 6. cap. 14. nu. 25. Si quis duorum vel trium confessiones audiens, affirmet de uno, venialia tantum habuisse, sigilli Sacramentalis violator est; tacite enim innuit alios mortalia habuisse. nu. 26. Item si dicat, se talem non absolvisse nihil aliud addendo; secus si exprimat se eum non absolvisse ob defectum materię sufficientis: vel quia ob impedimentum superveniens non potuit confessionem finire. n. 27. Si Confessarius interrogetur an talem absolvet, consultum erit respondere: feci quod debui, vel functus sum officio meo. nu. 28. Si interrogetur Confessarius an apponenda sit formula consecranda pro pœnitente quem audit, & non absolvit; respondere debet, ut hoc ab ipso quærat pœnitente. nu. 29. Si pœnitens quem Confessarius audit, & non absolvit, petat ab ipso Confessario schedulam confessionis, eam negare non potest. nu. 30. Contra sigillum est, si Confessarius dicat se audivisse in confessione peccatum jam notum, & publicum pœnitentis, v. g. furtum, &c. num. 31. Sic etiam si de peccatis sibi confessis loquatur cum iis, qui ea norunt, ex scientia habita per confessionem. nu. 32.

90. Si Confessarius dicat sibi talem confessum esse, & ex hoc dicto, ad iudicium circumstantiis, ingeratur auditibus suspicio casus reservati, vel gravis culpæ, erit indirecta revelatio, & violatio sigilli. Tract. 6. cap. 14. num. 33. Si Confessarius manifestet penitentiam tali impostam, nisi sit ita lævis quod ex illa nil aliud argui possit quam confessio venialium in genere, erit violatio sigilli. nu. 34. Si Confessarius dicat, talem impertinentis, & scrupulis sibi caput obtundere, probabile quidem est non violasse sigillum; attamen similes locutiones cavendæ sunt, num. 35. Si Confessarius etiam generaliter dicat: In tali oppido, ubi paulo ante confes-

siones audivit, gravia delicta committi, violat sigillum, & illam communitatem infamat; & maxime si sit aliquod collegium, vel parva communitas. nu. 36. Non solum est contra sigillum si Confessarius exprobret peccatum penitenti; sed etiam si ei ob peccatum in confessione auditum, severum vultum ostendat, vel minus grate loquatur. n. 37.

91. Sacramentalis sigilli violatio est, si Confessarius, aliquo modo dubitationem, aut suspensionem ingerat de iis, quæ in confessione audivit. Similiter si absque expressa penitentis licentia eum eo loquatur de peccatis in confessione auditis: censetur autem licentiam dare, si ipse prius de iis loqui incipiat. Tract. 6. cap. 14. num. 33. 39. 41. Si Confessarius in confessione recolat penitentem audita ab eo in altera confessione, non est contra sigillum. nu. 42. Probabile est, statim, & immediate post confessionem posse Confessarium aliquid addere, vel advertere penitentem quod oblitus fuerat. num. 43. Verius est non posse Confessarium loqui cum pœnitente de auditis in confessione, etiam ad supplendum defectum confessionis, si ipse pœnitens repugnet. nu. 44. Prorsus illicitum est Confessario aliquid agere, ex quo alii coniecere, vel rationabiliter suspicari possint certum pœnitentis peccatum, aut indignitatem illius. num. 45. Nullo modo licitum est ex notitia confessionis aliquid facere, quod ruborem, confusionem, seu displicentiam, & molestiam inferat penitenti, eique sit ingratum: ut removere subditum ab officio, & loco: negare Sacramentum, suffragium, &c. etiam si officium sit ad nutum auferibile. nu. 46. 47.

92. Sacerdos qui ex confessione novit famulum suum furem esse, non potest ex sola scientia confessionis illum dimittere. Similiter nec ob id quod scitur ex sola confessione potest negari suffragium, &c. Tract. 6. cap. 14. n. 51. 52. Sacerdos qui ex confessione novit fidei paratas in via infidias a pœnitente &

N n n id.

fociis ejus ut occidatur, vel immisum venenum in vino preparato ad celebrandum, ideoque si ab itinere declinet, vel celebrare recuset, focii delicti consistunt, notificatas ei fuisse infidias a focio in confessione, & propter hoc ei mors ab aliis imminet, nequit uti tali notitia confessionis: bene vero quando usus talis notitiæ nullo modo indicat aliis confessionem, nec vergit in damnum poenitentis. nu. 53. 54. Probabiliter colligitur etiam posse Confessarium qui ex confessione novit sibi mortem ab aliquo in via parari, domi se continere, alibi fugere, &c. num. 55. Probabiliter tandem colligitur, non esse contra confessionis sigillum quod Confessarius ob auditam confessionem redatur cautior ad custodiendas res suas, mediis quibus alii utuntur. nu. 56.

93. Ad confessionis sigillum tenetur: Confessarius: & qui se fingens Confessarium confessionem audivit: interpres poenitentis, & qui confessionem Sacramentalem quomodocunque audivit. Tr. 6. cap. 14. nu. 57. 58. 59. 60. 61. Audientes confessionem publice sine necessitate factam a poenitente ob majorem sui confusionem, non tenentur obligatione sigilli, sed tantum secreti naturalis; seu ex fidelitate, & iustitia. num. 62. Invenientes cartam, in qua poenitens sua peccata scripsit, verius est non tenere sacramentali sigillo, sed tantum secreto naturali. Peccant autem graviter eam cartam legendo, vel alius lecta revelando. nu. 63. Confringitur quoque sigilli obligatio omnis, cui Confessarius inique peccatum revelavit; & omnes qui a Confessario ebrio in phrenesim lapso, vel dormiente peccatum audivit. nu. 64.

94. Ad sigillum tenetur quoque Confessarii consiliarius, si necesse sit manifestare personam poenitentis. Quod si non ex necessitate, sed ex sua libertate concessit poenitens se nominari, non tenebitur consiliarius sacramentali sigillo. Tract. 6. cap. 14. num. 65. Ligatur quoque sigillo superior, a quo petitur licentia pro reservatis. nu. 66. Poenitens

nullo sigillo tenetur quoad ea, quæ sibi a Confessario dicuntur. num. 67. Revelationes; virtutes, & alia dona spiritualia in quantum ordinantur ad declarationem peccati, cadunt sub sigillo. Tract. 24. Disp. 9. nu. 90. Violatio sigilli Sacramentalis est essentialiter, & intrinsicè sacrilegium, habet tamen communiter annexas duas malitias accidentales specie distinctas, detractio, & infidelitatis; ideoque tria peccata specie & numero distincta communiter committuntur. Sacrilegium quod in fractione sigilli committitur est ex genere suo peccatum gravissimum. num. 94. 99. Pœnæ violentium sigillum habentur, cap. *Omnia de pœnit. & remiss.* sed non ipso facto incurruntur. nu. 102.

C A P U T II.

De extrema unctiōe.

95. **E**xrema unctio est novæ legis Sacramentum institutum ad abstergendas reliquias peccatorum, confortando moribundum in spe vite eterne. Hæc est Metaphysica definitio. Physice autem definitur: *Extrema unctio est positio olei benedicti a Presbytero facta in aliquibus partibus corporis periculose egrotantis. Sub prescripta forma verborum.* Hoc Sacramentum fuit vere, & immediate a Christo institutum, & a S. Jacobo Apostolo promulgatum. Tract. 7. cap. 1. nu. 1. 10. 11. Licet sint plures unctioes, est tamen unicum sacramentum. nu. 16. 17. Hujus Sacramenti materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum, cap. 2. nu. 1. 2. Materia proxima est unctio facta in locis quinque sensuum, nempe in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, & insuper in pedibus, & renibus; sed unctio pedum non est universaliter recepta: unctio vero renum propter decentiam & honestatem in mulieribus omittitur. Ordo inter istas unctioes non est de necessitate sacramenti; bene vero quod fiant omnes quinque

que sensuum unctioes. Forma Crucis in unctiōe non est de necessitate Sacramenti; neque quod ambæ aures, & uterque oculus inungatur, aut utraque manus; neque quod unctio fiat in medietate manu Sacerdotis, nam peste grafsante sufficit virga oleo tincta. nu. 13. 14. &c. Egrotus carens organis exterioribus sensuum inungi debet in partibus proximioribus. nu. 23.

96. In urgente articuli mortis necessitate tantum, licite potest saltem sub conditione, sub unius formæ prolatione virtualiter omnes comprehendente, ministrare omnes quinque sensus ægroti inungere celeriter dicendo: *per istas sanctas unctiōes remittat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Tract. 7. cap. 2. nu. 22. Forma hujus Sacramenti est: *Per istam sanctam unctiōem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et hæc de aliis sensibus. Illa verba, & suam piissimam misericordiam non sunt de substantia formæ, nu. 26. 31. Effectus proprius, & primarius hujus Sacramenti est gratia Spiritus Sancti, cujus unctio peccati reliquias abstergit, ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quo infirmus sublevatus, morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus facilius resistit. Secundus effectus est, & a S. Jacobo Apostolo promulgatum: Tract. 7. cap. 1. nu. 1. 10. 11. Licet sint plures unctioes, est tamen unicum sacramentum. nu. 16. 17. Hujus Sacramenti materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum, cap. 2. nu. 1. 2. Materia proxima est unctio facta in locis quinque sensuum, nempe in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, & insuper in pedibus, & renibus; sed unctio pedum non est universaliter recepta: unctio vero renum propter decentiam & honestatem in mulieribus omittitur. Ordo inter istas unctioes non est de necessitate sacramenti; bene vero quod fiant omnes quinque

97. Hoc Sacramentum potest esse validum, & informe: & tunc si eadem infirmitate durante auferatur obex, habet suum effectum, Tract. 6. cap. 3. nu. 10. Subjectum capax extremæ unctiois est

tantum homo viator, baptizatus, adultus, qui rationis usum ita habeat, vel aliquando habuerit, ut actuale peccatum commiserit, vel prudenter dubitari possit, an illud saltem interius perpetraverit, & est infirmus periculose laborans. cap. 4. nu. 1. Infirmus de quo dubitatur an vivat, extrema unctio non absolute sed sub conditione saltem mentali conferenda est. Infantes, & perpetuo amentes hujus Sacramenti incapaces sunt. nu. 2. 3. 4. Hoc Sacramentum ministrari non potest aliis in periculo vitæ constitutis, ut damnatis capite, pugnaturis in bello, &c: nec omnibus infirmis, sed iis quos infirmitas constituit in periculo vitæ: nec in eodem vitæ periculo iterandum est; nec tempore interdicti conferri potest, nec excommunicatis conferendum est. nu. 6. 7. 8. 9.

98. Per se loquendo, secluso scandalo, & contemptu non est peccatum mortale hoc Sacramentum non suscipere. Per accidens tamen tenetur quis illud recipere sub mortale ut in casu, quo quis in periculosa infirmitate constitutus nequeat aliud Sacramentum suscipere. Tract. 7. cap. 4. nu. 10. 11. 12. 13. Solus Sacerdos potest hoc Sacramentum ministrare. Sacerdos etiam excommunicatus, vel degradatus valide hoc Sacramentum conferre potest. Illicite tamen illud ministrat, qui non est proprius Pastor, vel a proprio Pastore facultatem non habet. cap. 5. num. 1. 2. 3. Ad hujus Sacramenti collationem sufficit Parochi voluntas rationabiliter presumpsa, vel ratihabitio futura. Quando Parochus vel abest, vel omnino ministrare non vult, nec alteri facultatem præbere, licite ministrat quilibet Sacerdos non excommunicatus, aut suspensus sive sit sæcularis, sive Regularis; nam tunc Episcopus, vel summus Pontifex licentiam dare censetur. nu. 4. 5.

99. Urgente necessitate, nempe si timeatur infirmum decessurum antequam absolvantur omnes unctioes, possunt plures Sacerdotes adhiberi, quorum finguli suam unctioem sub propria forma

eodem tempore peragant. Nunquam tamen unctio ab uno, & forma ab altero proferatur. *Tract. 7. cap. 5. nu. 6.* Tenetur proprius Parochus hoc Sacramentum ex iustitia ministrare petenti, siue indigenti, etiam tempore pestis; si periculum contagionis vitari possit; si vero hoc periculum vitari non possit, non tenetur, nisi certe fiat, ægrotum esse in peccato mortali, & hoc tantum superesse remedium ad eum liberandum. Si non sit proprius Parochus, & infirmus alia sacramenta non suscipit, absente proprio Pastore non suscipitur, nisi per aliquem Pastorem, tenetur sub gravi ex lege charitatis hoc Sacramentum ministrare; præsumitur enim infirmus in tali casu graviter indigere: secus si alia suscipit sacramenta. Debet huius sacramenti minister per se loquendo esse in gratia, non excommunicatus, aut alia censura hoc ministerium impediende irretitus. *n. 7. &c.*

CAPUT III.

De Sacramento Ordinis.

100. **O**rdō est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritalis potestas traditur ordinato. *Tract. 8. cap. 1. nu. 8.* Ordines sunt septem: Sacerdotium, Diaconatus, subdiaconatus, Acolytatus, exorcistatus, Lectoratus, & Oñiariatus. Et omnes habent veram rationem Sacramenti. Episcopatus non est Ordo novus, sed extensio Ordinis, & characteris Sacerdotalis. *nu. 10. 14. 26. 33.* Prima tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines. Peccaret tamen mortaliter quicumque absque ea ad Ordines suscipiendos accederet; sicuti etiam qui Ordinem superiorem non suscepto inferiore reciperet. Fisset tamen valide Ordinatus, & posset valide, sed non licite ministeria etiam Ordinum omnisorum exercere. *nu. 26. 27. 36. 37. 38.* Nequit aliquis ordinari Episcopus nisi prius sit Sacerdos; & si secus fiat non erit valide ordinatus, nec aliquod munus

Episcopale poterit exercere. Qui vero solum ordinem Presbyteratus per saltum reciperet, posset, antequam prætermissos Ordines susciperet, valide in Episcopum consecrari; & posset ante suspensionem Ordinum omnisorum, valide non tamen licite Episcopalia munera exercere. *n. 40. 41.*

101. Sacramentum Ordinis consistit certa materia, & forma, sine quibus valide conferri non potest. Materia est id per quod Ordo confertur: forma sunt verba significantia potestatem, quæ per Ordinem confertur. Materia remota est res quæ traditur, proxima est ipsa traditio. *Tract. 8. cap. 2. nu. 1.* Probabilis est contactum physicum materiæ esse essentialiter requisitum in quolibet Ordine, ut valide conferatur. *nu. 14.* Contactus debet esse saltem moraliter simul cum forma; non est tamen necesse quod tota materia tangatur, sicut nec tangitur vinum, quod est in calice; & sufficit contactus mediatus, scilicet interposito velo, vel chirotheca. *nu. 19. 20. 21.* In majoribus Ordinibus necesse est quod materia tradatur ab Episcopo; secus in minoribus. *nu. 22.* Si in ordinatione contingat defectus levis in accidentalibus, non est necesse eum supplere; bene vero si fuerit defectus gravis, ut si non fuerint inunctæ manus Sacerdotis: si omisit verba consecrationis cum aliis: hoc tamen supplementum non est de necessitate Ordinis, sed de necessitate præcepti. Si defectus fuit substantialis, Ordinatio iterari debet; & quidem absolute si defectus fuit certus; vel sub conditione, si dubius sit. At propter solum timorem defectus, vel quia non recordatur, se teigisse materiam, &c. nihil repetendum est. *nu. 25. 26. 27. 28. 29.*

102. Primam tonsuram suscepturus debet esse vir, baptizatus, confirmatus, saltem septennis, nulla censura, aut irregularitate irretitus, qui sciat legere, & scribere, & saltem prima Fidei rudimenta didicerit. Tonsuratus gaudet privilegio Canonis, & fori, & liberatur a collectis secularium, & fit ca-

pax

pax Ecclesiastici beneficii. *Tract. 8. cap. 3. nu. 4.* Clericus in minoribus constitutus beneficium non habens, non peccat mortaliter si non suram, aut habitum Clericalem non deferat: bene vero si sit in Sacris, aut pingue habeat beneficium, & per multum tempus non suram, aut habitum clericalem non deferat; nisi adsit iusta causa v. gr. ad evitandum periculum mortis, vel gravis damni. Non excusabitur tamen a mortali si etiam per breve tempus habitum penitus occultet, vel dimittat ad decipiendum; ad liberias per plateas vagandum; ad aliquid illicitum perpetrandum. *nu. 6. 7. 9.* Munera propria Sacerdotis, ut sunt consecrare, absolvere, &c. vel Episcopi, ut Ordines conferre, &c. qui non habet talem potestatem, nec licite, nec valide exercere potest. Munera reliquorum Ordinum majorum, valide quidem sed non licite; minorum vero Ordinum, & valide, & licite. Et peccaret mortaliter Clericus in minoribus constitutus qui in Missa solemnium officium Diaconi aut Subdiaconi exerceret, & incurret poenam excommunicationis ferendæ, & irregularitatis ipso facto. Et idem dicendum etiam de laico in dictis officii solemniter ministrante. *n. 10. 11. 12.*

103. Materia remota Oñiariatus sunt Claves Ecclesiæ: Lectoratus liber Prophetiarum: Exorcistatus liber exorcismorum: Acolytatus prima, & principalis, in cuius traditione imprimitur character, urceoli vacui; secunda Candelabrum cum cereo: Subdiaconatus Calix cum patena sine pane, & vino: Diaconatus prima, & principalis est liber Evangeliorum, secunda impositio manuum: Sacerdotii prima, & principalis Calix & patena cum pane, & vino; & patena tradenda in Ordinatione debent esse consecrata, sed hoc non est de necessitate Sacramenti; sed de necessitate præcepti. Non solum traditio libri Evangeliorum, sed etiam manuum impositio est essentialis. Etiam per impositionem manuum gratia confertur,

novus tamen character non imprimitur, sed præcedens extenditur per novi modi receptionem. Præcipuum, & substantiale munus Subdiaconi est deferre Sacrificium Mistæ, Calicem, & patenam Diacono ministrare, eique panem, & vinum offerre, ut Sacerdoti tradat, & Epistolam solemniter canere. Diaconi munera sunt: Sacerdoti offerenti assistere, & ministrare, Evangelium solemniter canere; in absentia Episcopi, & Presbyteri de eorum commissione solemniter baptizare, & Eucharistiam ministrare; de licentia Episcopi populo prædicare. *Tract. 8. cap. 3. nu. 13. &c.*

104. Impositio manuum in ordinatione Episcopi est materia necessaria; siue ab uno siue a tribus fiat. Non potest Episcopus valide ordinari a simplici Sacerdote, nec de iure ordinario, nec ex delegatione Pontificis. Ad Ordinationem Episcopi trium Episcoporum assistentia non est necessaria necessitate Ordinis, sed tantum necessitate præcepti. Ideoque necessitate urgente potest Episcopus valide ordinari ex commissione Pontificis a duobus, immo etiam ab uno tantum. *Tract. 8. cap. 4. nu. 1. 2. 3. 4. 8.* Legitimus, & ordinarius Ordinis minister est duntaxat Episcopus. *nu. 11.* Episcopus qui nondum sit Sacerdos nequit valide ordinare: simpliciter nec Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus. Episcopus autem semel consecratus, etiam si hæreticus sit, excommunicatus, suspensus, degradatus, etiam si Episcopatum renuntiaverit, valide potest Ordines conferre. Immo etiam Episcopus qui per saltum est ordinatus Sacerdos, valide potest omnes Ordines conferre, etiam quos non suscipit. Peccabit tamen mortaliter quemcumque Ordinem conferendo ante receptionem eorum, quos omisit. *nu. 11. 13. 14. 15.*

105. Potest simplex Sacerdos ex commissione solius Summi Pontificis primam tonsuram, Ordines minores, & etiam Subdiaconatum conferre. *Tract. 8. cap. 4. nu. 19. 21. 25. 28.* De facto ex iu-

re

re nequeant Parochi primam tonsuram, vel Ordines minores conferre: bene vero Abbates mitrati annuli, & baculi usum habentes, & ab Episcopo consecrati, seu benedicti, dummodo sint Sacerdotes; sed suis tantum subditis, vel etiam aliis dimissionas habentibus, num. 31, 32, 38. Ut licite Ordines recipiantur, recipi debent, vel a proprio Episcopo, vel ab alio de ejus licentia. Si quis aliter ordinetur, peccat mortaliter, & suspensionem incurrit; Ordinans vero incurrit suspensionem a collatione Ordinum per annum, & interim possunt ejus clerici ab aliis, absque ejus licentia, ordinari, num. 43. Tribus modis potest Episcopus dici proprius pro Ordinibus conferendis: Primo ratione originis: Secundo ratione domicilii; Tertio ratione beneficii: & insuper ex Tridentino, ratione familiaritatis, n. 44.

106. Ex constitut. Innocentii XII. 4. Nov. 1694. Nullus Episcopus potest initiare prima tonsura sibi non subditum aut ratione Originis, aut domicilii, sub pretextu beneficii statim a se conferendi, aut quia est jam præsentatus a Patrono, vel nominatus ad beneficium Ecclesiasticum, etiam si beneficium institutum fuerit sub conditione, quod ad illud nullus institueretur, nisi prima tonsura insignitus. *Tract. 28. cap. 1. num. 726.* Nec etiam potest ullus Episcopus subditum alienæ Diocesis a proprio Episcopo tonsura insignitum, aut etiam ad Ordines minores promotum, ad ultteriores Ordines promovere titulo beneficii a se collati in propria Diocesi, nisi prius obtentis literis testimonialibus de ætate, vita, & moribus, tam a proprio Episcopo originis, quam domicilii, eique de facto exhibitis Episcopo ordinare parato. num. 728. Solus Episcopus originis, vel domicilii valet proprios subditos prima tonsura insignire, non vero Episcopus beneficii. Si Clericus a loco originis discessit ea ætate, qua poterit aliquod impedimentum canonicum contrahere, non potest ab Episcopo domicilii ad Ordines promoveri sine literis testimonialibus Episcopi o-

iginis obtentis, & exhibitis, num. 730.

107. Ut quis fiat subditus alieni Episcopi, quoad effectum Ordines suscipiendi, debet Episcopus alienus Ordinando conferre beneficium sufficiens ad congrue vitam sustentandam juxta taxam Synodalem, aut morem regionis, detractis oneribus beneficio annexis. Ut Episcopus originis proprium subditum, (idem dicendum de Episcopo domicilii,) ad minores Ordines promoveat, sufficit beneficium tenue: ut autem ad majores Ordines eum promoveat, opus est, quod beneficium sit sufficiens, ut dictum est de Episcopo alieno. *Tract. 28. cap. 1. num. 734. 735.* Si quis sine congrua sufficienti ad Subdiaconatum, sive miltioliæ, sive bona fide promotus est, nequit ad Diaconatum promoveri, nisi prius sufficientem congruam acquirat, n. 742. Beneficium sufficiens, cujus titulo possit Clericus ad minores, vel Sacros Ordines promoveri, debet actu haberi, & pacifice possideri, id est sine ulla in judicio, vel extra, facti, aut juris controversia. num. 744. 745. Valer quis ad Sacros Ordines promoveri titulo beneficii pacifice possessi: licet non lucratur ejus fructus, nisi suscepto Presbyteratu; dummodo sit persona moribus, & scientia ita præditus, ut prudenter speretur, quod suo tempore ad Presbyteratum movebitur, & interim habeat, quo decenter sustentari valeat, n. 747.

108. Probabilis est, quod titulo Coadjutorie perpetuæ non possit quis ad Ordines promoveri. *Tract. 28. cap. 1. nu. 749.* Potest quis ordinari ad titulum prestimonii perpetui, nec non & Capellanæ perpetuæ, dummodo ad congruam sustentationem sufficiat; immo probabiliter etiam ad titulum Capellanæ vitalitiæ; quæ dicuntur personatus, & sunt vere beneficia ex speciali Papæ privilegio, licet non perpetua sed personalia, num. 752. Sine beneficio, aut Patrimonio probabilis est non posse Episcopum cum aliquo dispensare, ut titulo sufficientiæ, seu literaturæ Sacris Ordinibus initiatur, nu. 755. Regulares etiam Societatis Jesu possunt sine patrimonio, vel

be-

beneficio, solo titulo religiosa Professionis ad sacros Ordines promoveri, num. 756. 757. Episcopus alienus nequit dispensare super insufficientia beneficii, nec supplere cum patrimonio adjectione quod fructibus beneficii deest ad congruam sustentationem. num. 758. Probabilis est quod Episcopus alienum subditum ordinare non valeat titulo beneficii insufficientis, et si ejus redditus a proprio Episcopo patrimonio pingui augeantur, num. 760.

109. Fructus beneficii tenuis possunt ab alieno Episcopo suppleri alio beneficio in eadem Diocesi obtento, & titulo utriusque beneficii, ex quibus congrua sufficiens conflurgit, ad Ordines promoveri. *Tract. 28. cap. 1. num. 762.* Minime, vero possunt, in probabiliore sententia fructus beneficii tenuis suppleri alio beneficio in diversâ Diocesi obtento, neque distributionibus quotidianis, quæ inter præsentibus distribuuntur; bene vero iis distributionibus, quibus etiam impediti, & absentes fruuntur in eadem Diocesi, num. 765. 769. Subditus ratione originis, is tantum intelligitur qui natus est in ea Diocesi, dummodo non ex accidenti, scilicet occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, aut alterius patris sui permanentiæ ad tempus in eo loco: in quo casu attendenda est origo patris. Episcopus autem illius Diocesis, in qua quis naturaliter, non autem per accidens natus est, dicitur Episcopus originis. nu. 772. 773. Quoad Ordines suscipiendos non attenditur origo ex Baptismi loco. nu. 774.

110. Si filius Romæ per accidens natus est, pater vero domicilium habeat Bononiæ, sed Neapoli natus est: tunc filius quoad Ordines suscipiendos censendus est originarius Diocesis Bononiensis, in qua pater domicilium habet. *Tract. 28. cap. 1. num. 777.* Si parentes in duabus Diocesibus domicilium habeant, ita quod æque moraliter utrobique habitent, nullus eorum Episcopo novo quoad Ordines conferendos censendus est Episcopus domicilii, num. 781.

In filio illegitimo quoad Ordines suscipiendos attenditur origo matris, aut ejus domicilium, num. 782. Origo infantis expositi sive legitimi, sive illegitimi, cujus parentes ignorantur, desumitur a loco Hospitalis, aut domus in qua alitur permanenter, non vero a loco ubi primo fuit expositus, num. 783. Derelicti, qui nec parentum nomen, nec patriam noverant, originem habent a loco ubi domicilium contraxerunt; si vero nullibi domicilium habeant, recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ut possint a quovis Episcopo ordinari. Libertini sunt, qui nascuntur ex patre, qui fuit servus, sed tempore natiuitatis filii jam erat manumissus. Liberti dicuntur, qui fuerunt servi, sed manumissi sunt. Servi in servituti statu ordinari non possunt. Origo libertinorum, ut supposita licentia ordinari valeant, sumitur ob origine dominorum; si eorum parentes nullibi domicilium habeant; si vero alicubi domicilium habeant, inde sumunt originem. Liberti originem sumunt a loco originis naturalis dominorum, n. 784.

111. Ut quis sit Episcopi subditus; ratione domicilii quoad effectum Ordines recipiendi, requiritur quod manifestet cum juramento, se animum perpetuo manendi in tali loco ab initio habuisse, & quod ibi habitet saltem per decennium cum eodem animo, vel transierat majorem bonorum suorum partem, instructis ædibus, & per considerabile tempus ibi commoretur. Hæc autem requiruntur pro eo qui est sui juris, & capax sibi eligendi domicilium. Si vero sit sub patria potestate, satis est quod natus sit in loco, ubi pater juxta prædicta domicilium habet. *Tract. 28. cap. 1. num. 786. 787.* Tempus autem considerabile censetur esse triennium, num. 788. Verius est possibile mutare domicilium, ut ab Episcopo novi domicilii ordinetur, illum, cui forte ab Episcopo primi domicilii, aut originis, iuste, vel injuste Ordines denegati sunt, num. 790. Natus Episcopus familiares suos alienæ Diocesis ad Ordines

di-